

poenam determinatam à jure , potuerunt tamen aliqua poena arbitraria à superiori puniri; *arg. C. 4. §. 1. de Offic. deleg.* quia cum sint Canonis transgressores pro qualitate culpæ debet infligi poena. Consecratio Episcopi fit die Dominica. *C. 1. D. 75.* Et etiam in diebus Apostolorum quibus in munere Pastoralis succedunt Episcopi. *C. 2. D. 21.* consuetudo, ut Ordines extra tempora conferantur reprobata est. *C. 2. h. t.* nec Episcopus in hoc potest dispensare: Sed per privilegium post *Trid. sess. 25. de Regul. cap. 22.* concessum, proprium, & speciale, & non communicatum, quia communicabile non est possunt Ordines extra prædicta Tempora conferri: & tali privilegio gaudet nostra Societas. Ex Bull. Greg. XIII. *Pium, & utilis.*

## TIT. XII.

## De Scrutinio in ordine faciendo.

222 **T**Riplex Scrutinium, sivè examen ordinandi subire solent. Primum est illud, de quo loquitur *Trid. sess. 23. de Ref. cap. 5. ibi. Ad minores Ordines promovendi bonum à Parocho, & Magistro Scholæ, in qua educantur, testimonium habeant.* Ad majores assumendi per mensem ante ordinationem Episcopum adeant, qui Parocho, vel alteri committat examen de natalibus, ætate, moribus, & vita ordinandorum. Sed hoc vix in usu est. 2. fit *feria 4. ante ordinationem, vel quando Episcopo videbitur: qui Sacerdotibus, & aliis prudentibus viris, peritis Divinæ Legis, ac in Ecclesiasticis sanctionibus exercitatis, sibi adscitis, ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam, & fidem diligenter investiget, & examinet. Trid. sess. 23. de Ref. cap. 7.* Natale, genus, & ætas probantur per testimonium Parochi deductum ex Libro baptismorum *Barbos. de Offic. Paroch. p. 1. cap. 7. n. 4.* vel si ex aliquo casu sic probari non possint, probantur quidem per testes famam, & alia adminicula. Fides, vita, & mores ordinandi probantur per litteras Prælati Regularis, si Religiosus est ordinandus, vel per litteras Parochi, Magistri, vel aliorum si ordinandus Sæcularis sit Institutio, seu Titulus mensæ probatur per instrumentum beneficii, vel patrimonii. Libertas à censura, irregularitate, aliisque impedimentis testimonio ordinandi

probat, cum non presumantur delicta. *L. 51. ff. pro Socio.* Doctrina probatur per examen, ad quod etiam Regulares tenentur. *Trid. sess. 23. de Ref. cap. 12.* Tertium denique Scrutinium, de quo agitur in *C. un. h. t.* fit quando aliquis in Diaconum, vel Presbyterum ordinatur. Sub ordinationis enim initium, olim Archidiaconus, hodie Sacellanus, vel Secretarius Episcopi, vel alius Diaconus ei assistens, & ordinandos præsentans alta voce ait: *Reverendissime Pater, postulat Sancta Mater Ecclesia Catholica, ut hos præsentet Subdiaconos, vel Diaconos ad onus Diaconii, vel Presbyterii ordinatis.* Tunc ordinans interrogat: *Scis, illos, dignos esse?* Cui respondet ipse: *Quantum humana fragilitas nosse sinit, & scio, & testificor, dignos esse ad hujus onus officii.*

223 Illum verò, quem indignum esse non novit, dignum debet æstimare. Si autem, illum indignum esse cognoscit, Metropolitanus, antequam ad hujusmodi Scrutinium veniat, secretè studeat nuntiare, vel intimare. *C. un. h. t.* Si verò, ut persona privata sciat, esse indignum, privatim monere debet ipsum ordinandum, ne ad ordines accedat, vel ipsum ordinandum: quod si suam monitionem nihil profuturam speret, declinet pro ea vice officium præsentandi. Si hoc non possit, nec defectum possit probare, proferat verba, prout in formula: quia ipse respondet, non ut persona privata, secundum suam privatam scientiam, sed ut persona publica: secundum publicam scientiam, secundum quam verum est, illum esse, & haberi publicè dignum, quantumvis ipse, ut privatus indignum esse sciat. Ad similem monitionem tenentur alii, qui sciunt privatim aliquod ordinandi impedimentum. Ordinandus, qui solus novit suum impedimentum juris Ecclesiastici, non tenetur in Scrutinio se ipsum procedere juxta aliquos; sed contrarium est verius; *arg. C. 5. D. 81.* Si impedimentum manifestum non detegat, deponitur. *C. 55. D. 50.* seu potius prohibetur ipsi ordini exercitium, quia inhabilis est. Ordinans ignotum sine Scrutinio, & de cujus habilitate non sufficienter constabat, arbitrariè punitur. Si ordinet cum scientia impedimenti, ordinandi potestate privatur. *C. 55. D. 50.* Qui facit se sine Scrutinio ordinari, vel furtivè se ingerit, & commiscet ordinandis, suspendendus est ab exercitio ordinis furtivè suscepti. *C. fin. D. 24.* donec Episcopus dispenset.

TIT.

de Ordinatis ab Episcopo, qui renuntiavit, &amp;c. 83

## TIT. XIII.

## De Ordinatis ab Episcopo, qui renuntiavit Episcopatu.

224 **D**upliciter potest Episcopus renuntiare Episcopatu: aliquando enim renuntiat loco tantum: aliquando verò, & loco, & Dignitati, quod, & ordini renuntiare dicitur in *C. 1. h. t.* Loco tantum renuntiare censetur, qui tantum renuntiat Officio, Curæ, & administrationi Episcopatus, v. g. ob hostilitatem, vel æris intemperiem, retento tamen Titulo, & Dignitate. Hinc est, quod cum Episcopus retineat Dignitatem, & ea quæ sunt Ordinis Episcopalis, potest ordines conferre, etiam majores; indiget tamen licentia Episcopi, cum jam careat subditis. *L. 22. tit. 6. p. 1.* Qui enim tantum loco renuntiat, Dignitate retenta, verè, & propriè Episcopus manet, etiamsi subditis careat: cum sæpè Episcopi verè tales sine subditis inveniuntur, v. g. si Episcopus metu hostium suam deserat Ecclesiam. *C. 42. 7. q. 1.* Et etiam Episcopi Titulares, qui *Episcopi in partibus, & Hispani: Obisq; de Anilo* nuncupantur, suntque promoti ad Dioecesim ab Infidelibus, vel Turcis occupatam, & verè Episcopi sunt, quamvis subditis careant. Similiter ergo accidit in Episcopo, qui loco tantum renuntiat.

225 Qui verò renuntiavit loco, & Dignitati, quia propter aliquod delictum depositionem timet, vel etiam impetrat dispensationem ex zelo ingrediendi Religionem: cum Cura, & administratione, simul Titulum, Dignitatem, & denominationem Episcopi dimittit, itaque se exiit, tamquam si Episcopus non fuisset: ac proinde alius ejus loco subrogatur quoad locum, & Dignitatem. *C. 45. 7. q. 1.* potest tamen minores Ordines conferre, cum licentia Ordinarii sicut possunt Abbates, imò & quilibet simplex Sacerdos ex Pontificia delegatione. *Barb. de Offic. Episc. alleg. 3. n. 4. Gonz. in c. 1. h. t. n. 9.* non tamen potest majores Ordines, præcipuè Sacerdotium conferre: nam solus Episcopus hos conferre valeat, nec ex delegatione Pontificis possunt conferri ab eo, qui non sit Episcopus. *D. Thom. in 4. D. 7. q. unic. art. 5. Barb. de Offic. Episc. alleg. 3.* si tamen defacto conferat, cum characterem ordinis retineat, & valida uti-

Tom. I.

que erit ordinatio. Sicut itidem valida, hac ratione, est ordinatio facta ab Episcopo deposito, suspenso, excommunicato, hæretico, simoniacò, etiam degradato, vel consecrato ab Episcopo hæretico, si substantia ad consecrationem posuit. *Barb. de Offic. Episc. alleg. 3. n. 3. Gonz. in c. 2. h. t. n. 3.* quia licet non possit licitè exercere potestatem ordines conferendi; cum tamen characterem Ordinis Episcopalis retineat, validè tali utitur potestate. Ordinatus tamen ab eo non potest actum ordinis suscepti exercere: & hac ratione talis ordinatio irrita dicitur. *C. 1. 9. q. 1.* non quantumvis absolute invalida sit: sed solum quoad usum, & exercitium ordinis sic suscepti, quia ab ejus executione est suspensus ipse ordinatus. Ordinatio facta ab Episcopo excommunicato non servata forma, vel materia nullius roboris est, ac proinde est iteranda. *C. 2. c. 3. 9. q. 1. C. 24. c. 25. 1. q. 7.* non quia ab excommunicato facta est; nam hoc non obstante, valeret. *Arg. c. 51. c. 109. de Cons. D. 4.* sed quia materia, vel forma non fuit servata. Et tunc etiamsi à Catholico, & non excommunicato fieret, invalida similiter esset. *Gonz. in c. 2. h. t. n. 7.* Hodie post *Extrao. Ad evitanda:* si quis accipiat ordines ab Episcopo excommunicato tolerato; non incurrit suspensionem, ac proinde pro tali casu non habet locum decisio *C. 2. h. t.* ut notat *Gonz. ibid. n. 8.*

226 Qui enim scienter, vel ex crassa ignorantia Ordines majores suscepit ab eo, qui loco, & dignitati renuntiavit, quia sic ordines suscipiendo indignum se fecit, suspensus est ipso jure ab illorum usu, & solum potest R. Pontifex cum eo dispensare. *C. 1. h. t. l. 22. tit. 6. p. 1.* non tamen incurrit irregularitatem, ut aliqui credunt, sed tantum suspensionem. *Barb. de Offic. Episc. alleg. 48. n. 1. Gonz. in c. 1. h. t. n. 3.* Qui verò ignoranter, & inculpabiliter ab eo ordines suscepit, etiam suspensus est ab ordinibus susceptis potest tamen cum eo Episcopo dispensare. *C. 1. h. t. l. 22. tit. 6. p. 1.* nam licet in utroque casu suspensio incurratur, quoad dispensationem tamen patens est discriminem. Quamvis enim ignorantè ordinatus culpa careat, suspensionem incurrit, non in ratione pœnæ: sed ob inhabilitatem ordinantis; quia Episcopus non potest dare executionem ordinis, qui ipse caret. *Argl. 79. de Reg. jur. in 6. C. 24. 1. q. 7.* Similiter, qui scienter ordinatus est ab Episcopo excommunicato, vel etiam per ignorantiam crassam indiget Pontificia dis-

L 2

pen



pensatione: si verò ignoranter fuit ordinatus indiget tantum Episcopi dispensatione. *C. fin. h. t. ubi dicitur*, quod Episcopus proprius potest dispensare cum ordinatis ignoranter ab Episcopo excommunicato: hoc est, si ordinavit Episcopus originis, cum esset excommunicatus, potest dispensare Episcopus domicilli, vel beneficii. *Gonz. ibid. n. 5.* vel successor ordinantis, imò, & ipsum ordinantem posse dispensare, postquam sit ab excommunicatione absolutus, tenet Abbas, quod rectius alii negant: ne in proprio defectu dispensare videatur, maxime cum facile ab aliis dispensari possit.

227 Qui renuntiavit Episcopatu, non potest uti Pontificaliibus insignibus. Etsi ex Monacho factus fuerat Episcopus, debet ad claustrum, & regularem observantiam redire. Si post renuntiationem est Religionem ingressus poenitentiae causa, quia ob delictum commissum Episcopatum deseruit, non potest ulterius ad Episcopatum redire. *C. 44. c. 45. 7. q. 1.* secus est, si renuntiavit Episcopatu propter persecutionem, infirmitatem, defectum scientiae, simoniam commissam ipso ignorante, vel similem causam; nam tunc potest à religione ad Episcopatum, ascendere. *C. 7. de Renunt. Gonz. in c. 1. h. t. n. 7.*

## TIT. XIV.

## De Aetate, &amp; Qualitate, &amp; Ordine Praeficiendorum.

228 Praeficiendi in praesenti illi dicuntur, qui sunt promovendi ad Dignitates, & beneficia Ecclesiastica: agiturque in hoc titulo de aetate, qualitate, & ordine, quibus debent esse praediti. Ad quodcumque ergo beneficium Ecclesiasticum obtinendum (excepto Summo Pontificatu: *arg. c. 6. de Elect.*) est necessaria prima tonsura, per quam fit Clericus, ipsa initiatus, capaxque beneficii Ecclesiastici, cuius est incapax Laicus. *C. 2. de Inst. C. 6. de Transact.* nec sufficit, quod beneficium impetrans mox sit eam receperit: Olim non dabatur prima tonsura sine beneficio, secus hodie, & ad illud obtinendum sufficiebat habere septenium. *C. 1. c. 2. D. 70.* Hodie ad quodcumque beneficium, etiam simplex adquirendum, etiam ab habente tonsuram, sive per collationem, sive per praesentationem, sive per aliam quancumque

provisionem, nisi aliud in fundatione exprimitur. *Garc. de Benef. p. 7. cap. 4. n. 9. & 10.* requiritur annus 14. saltem inchoatus. *Trid. sess. 23. de Ref. cap. 6. l. 3. tit. 16. p. 1.* ubi etiam dicitur, quod poterit majoribus septennio dari beneficium, si discretio supplet aetatem. *Greg. Lop. in l. 3. tit. 16. p. 1.* dum non habeat regimen Ecclesiae. *C. 3. h. t. ibi: Indecorum est, ut hi debeant Ecclesias regere, qui non noverunt gubernare se ipsos.* Idem, quod de beneficio dicendum est de pensione Ecclesiastica. *Barbos. de Offic. Episc. alleg. 60. n. 78.* ad pensiones saeculares nulla certa aetas requiritur.

229 Ad Summum Pontificatum nulla aetas praefinita reperitur in iure. *Arg. C. 6. de Elect. c. 3. eod. in 6.* nec unquam electio Pontificis ob defectum aetatis fuit impugnata, licet aliqui in aetate immatura facti fuerint R. Pontifices: expedit tamen, quod non nisi post 30. annum eligantur. *Arg. C. 7. de Elect.* Ad Episcopatum 30. annus completus est necessarius. *C. 7. de Elect.* hac eadem aetas ad Cardinalatum requirebatur à *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 1.* sed hodie ad Cardinalatum requiritur aetas, & ordo ad ipsorum gradum necessarius. Inter Cardinales enim alii sunt Episcopi, & tunc requiritur 30. annus completus: alii sunt Presbyteri, & tunc requiritur 25. annus, saltem inceptus: alii denique sunt Diaconi, & tunc sufficit 22. annos habere. *Ex Const. Sixti V. Postquam Ann. 1586.* Ad alias Dignitates Ecclesiasticas, & beneficia, quibus iurisdictione in foro externo, vel cura animarum est annexa, qualem habent Abbates, Praepositi, Archiepresbyteri, Archidiaconi, Vicarii Generales Episcoporum requiritur 25. annus inchoatus. *C. 7. §. Inferiore, de Election. Trid. sess. 24. de Ref. cap. 12. & insuper ordo Presbyteratus. C. 1. h. t. C. 14. de Elect. in 6.* assumendus, intra annum à die collationis beneficii. *Cl. 2. h. t. quae si culpabiliter differat electus recipere, ipso jure privatur jure quæsito per electionem, vel collationem. C. 1. h. t. C. 14. de Elect. in 6.* Ad dignitates, & personatus non habentes curam animarum, saltem in Cathedralibus debent assumi Clerici idonei, licet non sint Presbyteri, non minores 22. annis. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 12.* Et sanè, hoc *Trid. Decretum* cum de Cathedralibus loquitur, non debet extendi ad Collegatas: ac proinde potest quis assumi ad dignitatem in aliqua Collegata, quin 22. annos habeat.

Et

Et sic jam declaratum tenet cum aliis *Barbos. de Offic. Episc. alleg. 60. n. 67.* contra *Garc. de Benef. p. 7. cap. 4.* Sufficere 22. annum esse inchoatum est receptum in Rota teste, *Barbos. de Offic. Episc. alleg. 60. n. 66.* Completum requiri ex declaratione Cardinalium, testatur *Greg. de Benef. p. 7. cap. 4. n. 70.* Olim Episcopus dispensabat cum majore 20. annis ad has Dignitates, & personatus, non curatos. *C. un. h. t. in 6.* Sed hodie dispensatio in aetate ad quodcumque beneficium requisita soli R. Pontifici competit: quia ipse solus potest in Jure Communi Canonico dispensare. *Garc. de Benef. p. 7. cap. 4. n. 57.*

230 Ad Canonicatus, Praebendas, & Portiones Cathedralium requiritur saltem 21. annus inceptus, nisi aliud consuetudine, vel statuto praescriptum sit quia intra annum debet illum Ordinem Sacrum suscipere, quem praebenda requirit. Et in Cathedralibus omnes Canonicatus Ordinem Sacrum habent annexum: & quidem, ita, ut saltem dimidia pars sint Presbyteri, ceteri verò debent Diaconi, vel Subdiaconi esse. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 12.* Canonici verò Collegiarum non debent esse initiati aliquo Ordine Sacro. *Barb. in Cl. 2. h. t. Mach. in Sum. lib. 4. p. 4. tr. 5. ac proinde sufficit, quod habeant 14. annum inchoatum. Arg. Trid. sess. 23. de Ref. cap. 6.* Poenitentarius Ecclesiae Cathedralis debet habere 40. annos, saltem inceptos, ut dicunt *Azor. & alii* contra *Garc. de Benef. p. 7. n. 35.* vel alias debet esse, qui potior pro loci qualitate reperitur. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 8.* Inquisitores haereticae privatis de Jure Communi debent habere 40. annum, saltem inceptum. *Cl. 2. de Haeretic.* quae Constitutio non ubique servatur, ut in nostra Hispania videmus, fortè ob privilegium singulare, de quo *Simman. de Cathol. Inst. tit. 34. ex n. 12. Machad. in Sum. lib. 4. p. 5. tr. 2. doc. 8.* Commissarii Inquisitionis ferè easdem qualitates: ac Inquisitores debent habere: sed quoad aetatem sufficit si 30. annos habeant, licet aliqui 40. requirant. *Vid. Machad. doc. 12.* Qualificatores Inquisitionis 45. annos debent habere, sed in hoc dispensat Inquisitor Generalis *Machad. in Sum. lib. 4. p. 5. tr. 2. doc. 13. & alii com.*

231 Collatio beneficii facta personae non habenti aetatem à jure requisitam, est ipso jure nulla. *C. 14. de Elect. in 6.* etiam in constitentia: & etiamsi una hora tantum desit. *Garc. de Benef. p. 7. cap. 4.*

*ex n. 82.* Et etiamsi per ignorantiam, & bona fide susceptum sit beneficium, imò etiamsi ita promotus, vel per electionem, vel praesentationem, vel impetrationem habilis jam inveniat tempore, quo institutus est: quia concessio, utpotè irrita ab initio tractu temporis non convalescit. *C. 38. de Reg. Jur. in 6. l. 29. ff. eod.* Licet olim ad beneficium curatum Subdiaconatus requireretur. *C. 5. h. t.* Hodie sufficit Ordines minores habere. *C. 8. de Praeb. in 6. C. fin. de Instit. eod.* imò & prima tonsura sufficit. *Arg. Trid. sess. 24. de Ref. cap. 12.* Eligendus in Episcopum, Archiepiscopum, vel Patriarcham, saltem sex mensibus ante electionem debet esse Subdiaconus. *C. 9. h. t. Trid. sess. 22. de Ref. cap. 2.* ita enim verificatur, quod sit in Sacris constitutus, etiamsi Presbyter non sit. *Greg. XIV. in Const. Unus Apostolicus. 15. Mai. ann. 1591.* quam affert *Garc. de Benef. p. 7. cap. 4. n. 77.* debetque ceteros ordines gradatim, usque ad Episcopatum recipere. *Arg. c. un. de Cleric. per salt. promot.* Similiter debet gradatim ascendere, si aliquis Laicus Divina inspiratione in Episcopum postuletur, ut D. Nicolaus, D. Ambrosius, & alii. *C. 8. r. 10. D. 61. Gonz. in c. 9. h. t. ex n. 11.* Beneficium simplex non obligat Beneficiarium ordinem Sacerdotii suscipere, nisi in fundatione dicatur, ut sit Sacerdos, vel quod ipse per se ipsum Missas celebret. Si verò solum dicatur, quod Capellanus Missas celebret, vel divinis Officiis inserviat, potest per substitutum hujusmodi oneribus satisfacere, nec vi talis beneficii tenetur ordinem Sacerdotii suscipere. In Capitulo Ecclesiae Cathedralis ille, qui saltem non est Subdiaconus non habet votum, seu vocem activam: idem est in Collegiata. Similiter habens beneficium, cui annexus est ordo, si impedimento cessante, non promovetur intra annum ad illum, non habet vocem in Capitulo, donec fuerit ordinatus, & interim perdit dimidiam partem distributionis. *Cl. 2. h. t.* Talis verò Canonicus, etsi in minoribus sit constitutus habet stallum, id est, sedem in Choro. Et si per turnum ad ipsum, ut hebdomadarium, v. g. spectet collatio beneficii potest illud conferre, & si cum ipso dispensetur, ut ante legitimam aetatem in Subdiaconum ordinetur, habet vocem in Capitulo.

232 *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 12.* hortatur, ut in Cathedralibus, & Collegiatis insignibus Dignitates omnes, vel saltem dimidia pars Canonicatum conferatur

tur



tur Magistris, vel Doctoribus, vel Licenciatis in Theologia, vel Jure Canonico. Sed hoc solum esse consilium: ac proinde non obligat. Generaliter tamen in unoquoque requiritur scientia necessaria ad suum munus rite obeundum. *C. 7. §. Inferiora, de Elect. collatioque facta penitus illiterato est ipso jure nulla. Si verò solum caret scientia à jure requisita, erit irritanda, tanquam contra Sacros Canones facta. C. 17. c. 22. de Elect. quia literis carens, sacris non potest esse aptus officii. C. 1. D. 36. Et cum teste Apostolo 1. ad Tim. 3. v. 2. oporteat, Episcopum esse Doctorem; est necessarium, quod tam Theologia, quam Sacrorum Canonum eam habeat peritiam, quam ejus requirit Officium. C. 6. D. 38. ut alios in sana doctrina cohortari possit, & eos, qui contradicunt arguere valeat. Paul. ad Tit. 1. v. 9. eadem peritia in Cardinalibus requiritur, ut S. Pontificem in universali Ecclesia regenda suo consilio adjuvent. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 1.* Hinc Episcopus debet esse Doctor, vel Licenciatus in Theologia, vel Jure Canonico, aut alias ad docendos alios idoneus, testimonio alicujus Academiae. *Trid. sess. 22. de Ref. cap. 2.* idem requiritur in Archidiacono, nisi habeat jurisdictionem in foro externo. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 1. 2.* idem in Scholastico. *Trid. sess. 23. de Ref. 18.* idem in Penitentiario Cathedralis Ecclesie. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 8.* idem est in Vicario Capituli Sede vacante. *Trid. sess. 24. de Ref. c. 16.* ibi: *Capitulum Sede vacante Vicarium constituere teneatur, qui saltem sit Doctor in Jure Canonico, vel Licenciatus, vel alias quantum fieri poterit idoneus: si scilicet factum fuerit ad Metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur.* Inquisitores debent esse sacra doctrina fidei eminenter eruditi ex *Bul. Urb. IV.* in nostra Hispania semper Jurisperiti ad hoc ministerium eliguntur. Qualificatores solum debent esse illi, qui per 12. an. Theologiae docuerint; sed in hoc frequenter dispensatur. *Mach. in Sum. lib. 4. p. 5. tr. 2. dor. 13.* Quicumque jurisdictionem in foro externo habent, debent utriusque juris scientiam habere, quia non suo sensu, sed secundum juris auctoritatem, & decisiones debent judicare. *C. 1. de Const. L. 1. Taur.* Parochi debent scire ea, quæ ad Sacramentorum administrationem rite obeundam, & Populum instruendum in rebus necessariis ad salutem pertinent. *C. 5. D. 38. c. 14. h. t. L. 2. tit. 16. p. 1.* Nam si cæcus cæco ducatum præset, ambo in fossam cadunt. *Matth. 15. v. 14.* In promo-*

vendo ad veneficium præter alias qualitates de Jure Communi requiritur morum probitas, & vitæ honestas adeo, ut collatio beneficii curati facta infami; sive infamia juris, sive facti; vel etiam criminosa depositione digno, est ipso jure nulla. *C. 7. §. Inferiora, de Elect.* si beneficium sit simplex, non irrita, sed irritanda erit collatio. *C. 11. de Exes. Prælat.* Irregularitas, excommunicatio, suspensio, interdictum personale (etiamsi his censuris irreti sint tolerati; cum Extrav. Mart. V. *Ad vitanda*, illis nullum favorem intendat) reddunt nullam collationem cujuscumque beneficii, etiam simplicis. *C. 7. de Cler. excomm. C. 8. h. t.* In fundatione, statuto, vel ex consuetudine aliquando requiruntur aliæ qualitates, v. g. nobilitas, gradus, vel quod non conferantur beneficia alienigenis, vel alterius familiæ, quæ adamussim sunt servandæ. *Trid. sess. 25. de Ref. cap. 5.*

233 Beneficia, sive Sæcularia, sive Regularia curam animarum habentia, vel in externo, vel in interno foro debent sub gravi conferri non solum dignis, *C. 7. §. fin. de Elect. Trid. sess. 7. de Ref. cap. 3.* id est; nulla qualitate ex requisitis tam de Jure communi, quam statuto, vel fundatione carentibus: sed etiam dignioribus. *C. 15. 8. q. 1. Trid. sess. 24. de Ref. cap. 1. & cap. 18.* & constat ex propositione 47. inter damnatas ab Innoc. XI. tales sunt, qui non solum habent qualitates requisitas, sed eas in quodam eminentiori gradu habent. Dignitas ergo alicujus personæ potest attendi dupliciter: uno modo simpliciter, & secundum se; & sic majoris dignitatis est ille, qui magis abundat in spiritualibus gratiæ donis. Alio modo per comparationem ad bonum commune: contingit enim quandoque, quod ille, qui est minus Sanctus, & minus sciens potest magis conferre ad bonum commune propter potentiam, vel industriam sæcularem, vel propter aliquid hujusmodi: & quia dispensationes spiritualium principaliter ordinantur ad utilitatem communem, secundum illud. 1. Cor. 12. *Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem: Ideo quandoque absque acceptatione personarum in dispensatione spiritualium, illi qui sunt simpliciter minus boni melioribus præferuntur, sicut etiam, & Deus gratias gratis datas, quandoque concedit minus bonis. D. Thom. 2. 2. q. 63. art. 2.* Collatio, vel electio de digno facta extra concursum, omisso digniori, est valida, & firma: quia si rescindibilis esset pluribus litibus via aperiretur. *D. Thom. 2. 2. q. 63. art.*

art. 2. ad 3. Imò etiamsi Electores jurassent digniorem eligere, adhuc electio digni, prætermissio digniori, valeret, etiamsi ipsi perjurium committant: nam juramentum non immutat Juris Communis dispositionem. *C. 25. de Jur. jur. Castropal. tr. 13. D. 2. p. 11. §. 3. n. 1.* Si verò in concursu facta fuit electio, vel collatio ipso jure est irrita, ut colligitur ex *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 18. & Bull. S. Pii V. 15. Kal. April. An. 1566.* Nam apponitur Decretum irritans provisionem factam contra formam præscriptam, quæ præcipue consistit in electione dignioris. *Castropal. tr. 13. D. 2. p. 11. §. 3. n. 3.* contra *Garc. de Benef. p. 9. cap. 2. d. n. 235. Lacr. L. 4. n. 627.* qui judicat probabilius dicere, talem provisionem non esse ipso jure irritam, sed esse irritandum. *Vid. ex n. 579.*

234 Circa beneficia simplicia hanc obligationem negat García: illam licet non tanto rigore, ac in curatis admittunt alii cum *D. Thom. 2. 2. q. 63. art. 2.* Et ita deducitur ex *C. fin. de Offic. Custod. C. un. Ut beneficia Eccles. ubi loquendo de beneficio non Curato ait Innoc. III. debuisti Ecclesiasticum officium, & beneficium in persona magis idonea dispensare.* Et ideò probabilius, dicit *Lacroix l. 4. n. 588.* videri, eum peccare mortaliter, qui pro beneficio simplicii præfert dignum digniori. Quid dicendum de Prælatorum consanguineis explicat *D. Thom. 2. 2. q. 63. art. 2. ad 1.* ibi: *Circa consanguineos Prælati distinguendum est: quia quandoque sunt minus digni, & simpliciter, & per respectum ad bonum commune: & sic, si dignioribus præferantur, est peccatum personarum acceptationis in dispensatione spiritualium, quorum Prælati Ecclesiasticus non est Dominus, ut possint ea dare pro libito, sed dispensator, secundum illud. 1. ad Cor. 4. Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei.*

## TIT. XV.

## De Sacra Unctione.

235 **A**git in præsentibus Innoc. III. de variis Sacris Unctionibus: duasque Unctionis species esse dicit: alia enim est exterior, quæ materialis est, & visibilis alia interior, quæ spiritualis, & invisibilis est. Exteriori inungitur corpus, interiori invisibiliter inungitur cor. Unctio exterior est interioris signum. Sacra ergo Unctio, de qua sæpe in jure fit

mentio, nihil aliud est, quam delibutio per Oleum, materiale, & benedictum ab Episcopo, facta juxta Ritus Ecclesie. Hoc Oleum, quod in Sacris Unctionibus adhibetur, debet esse olivarum, nam huic verius, & proprius, quam aliis, nomen Olei convenit. *D. Thom. in 3. p. q. 72. art. 2. ad 3.* Hoc quidem Oleum aliud est balsamo, cujuscumque loci sit, admixtum: (Græci alia plura aromata ei admiscebant) & dicitur *Chrisma Græci: Latine: Unguentum. L. 11. tit. 4. p. 1.* ibi: *E la Chrisma hase de sacer de Olio, è de balsamo.* Hoc Chrisma adhibetur in baptismo, sed postquam est substantialiter collatum. Etiam adhibetur in confirmatione, & consecratione Papæ, & Episcopi, & etiam quando consecrantur Ecclesie, altaria, & calices. Alium Oleum est simile & sine aliqua admixtione: & est in duplici differentia. Aliud dicitur *Cathechumenorum*, aliud *infirmorum*. Oleum Cathemenorum adhibetur, ad inungendos baptizandos, & Cathemenos ante collationem substantialem baptismi: & etiam in ordinatione Sacerdotis, in Unctione Imperatorum, & Regum. Oleum infirmorum solum in Extrema Unctione adhibetur, quæ omnia constant. *Ex C. un. h. t. L. 11. usque ad L. 16. tit. 4. p. 1. Barb. de Offic. Episc. alleg. 31.* Quamvis Oleum, & Chrisma olim poterant omni tempore confici *C. 124. de Cons. D. 4.* nunc tamen debet novum confici singulis annis in Cœna Domini, & vetus in Sanctis Ecclesiis est cremandum, ita à SS. Apostolis, & successoribus eorum accepimus, & vobis tenenda mandamus, ut ait Fabianus Papa in *C. 18. de Cons. D. 3.* Urgente necessitate potest cum oleo veteri fieri unctio, ut sæpe in his Insulis accidit, donec novum afferatur. *Barbos. de Offic. Paroch. cap. 22. n. 25.* Si Oleum consecratum non sufficiat, potest non consecratum ipsi admisceri *C. 3. de Consecr. Eccles.* Sed quantitas non consecrata debet esse minor, ut tota evadat consecrata.

236 Baptizandus bis inungitur à Sacerdote Oleo Cathemenorum. 1. in pectore, deinde inter scapulas, & semel post baptismum: Et quidem olim per totum corpus ungebatur Cathemenus, juxta *Dionis. Cyril. & alios apud Gonzal. in C. un. h. t. n. 22.* Hodie tantum in vertice Sacro Chrismate ungitur. *C. un. §. Quia, h. t. ibi: In pectore namque baptizandus inungitur, ut per Spiritus Sancti donum abiciat errorem, & ignorantiam, & suscipiat fidem rectam: quia justus ex fide vivit.*



vir. Inter scapulas, ut per Spiritus Sancti gratiam excutiat negligentiam, & torporem, & bonam operationem exerceat: quia fides sine operibus mortua est. In vertice vero baptizandus inungitur: ut sit paratus Omnipotenti de fide reddere rationem, quia per caput intelligitur mens, juxta illud, quod legitur. Oculi sapientis in capite ejus, cujus Superior pars est ratio, & inferior sensualitas. L. 14. L. 15. tit. 4. p. 1. Nulla tamen Unctio ex prædictis est de baptisimi substantia; siquidem baptismus validè ministratur à Laicis, quin aliqua adhibeatur Unctio.

237 In confirmatione adhibetur Chrismatis Unctio in fronte confirmati, per quam manu impositio designatur: quia per eam Spiritus Sanctus ad augmentum datur, & robor. Unde cum cæteras Unctiones simplex Sacerdos valeat exhibere: hanc non nisi Summus Sacerdos, id est, Episcopus, debet conferre; quia de solis Apostolis legitur (quorum Vicarii sunt Episcopi) quod per manus impositionem Spiritum Sanctum dabant. Ad. Apost. 8. v. 17. Ibi: Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum, cujus adventus per Unionis Ministrum designatur, quia Columba, in qua Spiritus Sanctus super Christum in baptismo descendit ad vespertinam in Catachismo (hoc est diluvio universali, Genes. 8.) revertens rapum retulit virentis olive, cujus utriusque Sacramentum David Prophetæ prænoscentis exhilarandam faciem in Oleo prædicavit. Circa confirmationem fide definitum est, ipsam esse unum è septem Sacramentis novæ Legis, ejusque Ministrum Ordinarium non esse simplicem Sacerdotem, sed Episcopum: characteremque imprimere, gratiamque conferre. Trid. sess. 7. Hujus Sacramenti effectum exponit Melchisedes in C. 2. de Cons. D. 5. ibi: Spiritus Sanctus, qui super aquas baptismi salutifero descendit illapsus in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam; in confirmatione augmentum præstat ad gratiam, & quia in hoc mundo tota ætate videtur inter invisibiles hostes, & pericula gradiendum est: in baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam; in baptismo abluimur, post baptismum roboramur. L. 11. tit. 4. p. 1. Ibi: Assi como en el Baptismo se alimplan de todos los pecados, assi en la Confirmacion, reciben el Espiritu Santo, que les da fortaleza para lidiar contra el diablo, è fuir sus tentaciones. Christus quidem hoc Sacramentum instituit, non exhibendo, sed promittendo, secundum illud Joannis 16. si non abiero Paraclitus non venit ad vos,

si autem abiero mittam eum ad vos: & hoc idem, quia in hoc Sacramento datur plenitudo Spiritus Sancti, quæ non erat danda ante Christi Resurrectionem, & Ascensionem, secundum illud Joann. 7. nondum erat Spiritus datus: quia Jesus nondum erat glorificatus. D. Thom. in 3. p. q. 62. art. 1. L. 11. tit. 4. p. 1.

238 Hoc Sacramentum solum ab Episcopo consecrato, tanquam Ordinario Ministro validè confertur. Trid. sess. 7. Can. 3. de Confirm. L. 11. tit. 4. p. 1. Et quidem validè; quamvis illicitè illud confert, etiamsi sit excommunicatus, hæreticus, vel degradatus. Barb. de Offic. Episc. alleg. 30. n. 2. Ut Episcopus illud licitè confert, non debet habere conscientiam peccati gravis, debetque esse confirmatus, & ipse, habereque intentionem, saltem virtualem, debetque illud conferre indutus pluviali, mitra, & baculo pastorali, & quidem in Ecclesia, vel in loco honesto vel etiam in Palatio Episcopali. Et potest in sua Diocesi alienos subditos, imò, & in aliena potest suos subditos confirmare. Quando ergo confirmat, debet frontem confirmati inungere pellice manus dextræ in forma Crucis, percutit maxillam confirmati, ut sit signum, quod ipse debet ferre forti, & invicto animo pericula, quæ propter fidem imminant, & ut recorderetur, se hoc Sacramento esse initiatum, ne iterum illud suscipiat, potestque Episcopus illud conferre in die feriali, quocumque anni tempore, etiam post meridiem, non jejunus, & non jejunis; nam hoc non de præcepto, sed de consilio requiritur in C. 6. C. 7. de Cons. D. 5. L. 11. tit. 4. p. 1. Barbos. de Offic. Episc. alleg. 30. Lacr. L. 6. p. 1. ex n. 374. Sicut baptizatus habet susceptores, seu paternos, ut in fide erudiatur, ita confirmatus cum per Chrisma conscribatur in pugnam, indiget Magistro militiæ, ac verò talis susceptor, seu patrus non est de essentia Sacramenti, sed tantum de præcepto. Barb. de Offic. Episc. alleg. 30. n. 32. Episcopus nequit administrationem confirmationis Sacerdoti simpliciter committere: potest tamen ex privilegio, vel delegatione S. Pontificis simplex Sacerdos confirmationis Sacramentum ministrare. D. Thom. in 4. D. 7. q. 3. art. 1. q. 3. Suar. in 3. p. D. 36. sess. 2. contra Durand. & alios. Et defacto S. Gregor. Magn. hoc privilegium concessit Clericis Sardinie. C. 1. D. 95. nequit tamen Pontifex non Sacerdoti, etiamsi Diaconus sit hujus Sacramenti administrationem delegare. D.

Thom.

Thom. in 4. D. 7. q. 3. art. 1. q. 3. Suar. in 3. p. D. 36. sess. 2. Hinc dicendum est, quod etiam simpliciter Sacerdoti potest à Papa, non ab alio, committi benedictio simplicis Olei: ut defacto in Ecclesia Orientali Sacerdotes simplices hoc Oleum benedicunt: quod etiam approbavit Clem. VIII. in Const. Sanctissimus, 31. Aug. An. 1595. Ad etiam Chrismatis confectio delegari ipsis potest. Nam cum Pontifex ipsis committere valeat Chrismationem, potest committere, quod & minus, & accessorium est, scilicet confectioem Chrismatis. Nam quamvis in Conc. Tolet. I. prohibeatur simpliciter Sacerdoti Chrismatis benedictio, non tamen irritatur. Et quamvis à Concil. Florent. requiratur pro hoc Sacramento Chrisma ab Episcopo benedictum, non illicitè inferitur, talem benedictionem esse materiam partiale Sacramenti: sicut non inferitur, admixtionem aquæ cum vino esse materiam Eucharistiæ. Nam Concilium non solum ponit necessaria ad valorum Sacramentorum, sed etiam requisita ex præcepto Ecclesiæ. Et hoc modo requiritur, quod Chrisma sit benedictum ab Episcopo, ac proinde R. Pontifex ex universali potestatis saltem probabiliter valet in eo dispensare, dum possitve non constet contrarium; arg. C. 4. de Consec. Præbend. Et hæc sententiam tenet Viñor. in Sum. de Confirm. §. 43. Cajet. in 3. p. q. 72. art. 2. Sap. Valent. & Amic. apud. Platel. p. 5. n. 253. quod probabile dicit Lacr. lib. 6. p. 1. n. 378. contra D. Thom. Suar. Barb. de Offic. Episc. alleg. 30. n. 6. & alios. Et demum Benedictus XIV. de Synod. Dioces. l. 7. cap. 8. hoc probabile judicat & cap. 7. collatis variis exemplis assertit se dedisse facultatem conferendi Sacramentum Confirmationis Guardiano S. Sepulchri.

239 Ante baptismum ungitur baptizandus solum Oleo benedictio, non Chrismate, nam hoc solum post baptismum est inungendus. Chrisma enim solum competit Christiano. Christus enim à Chrismate dicitur, vel potius à Christo dicitur Chrisma, non secundum nominis formam, sed secundum fidei rationem: à Christo verò Christiani dicuntur, & ita coeperunt vocari Antiochiæ; qui prius Gallilæi, Nazarei, & Discipuli appellabantur. Filius enim Dei Unigenitus, qui propter nostram salutem descendit de Coelis, dictus fuit ab Hebræis Mesias: id est, unctus Græcè Christus; Hispani; unctio. Sic enim per excellentiam fuit dictus. Et ita significabatur Rex, Sacerdos, & Propheta. Nam

Tom. I.

ut ait Pontifex in præsentis cap. un. h. t. in Veteri Testamento non solum ungebatur Sacerdos, sed etiam Rex, & Propheta; sicut in l. 3. Reg. c. 19. v. 9. & 16. Dominus præcepit Elie: ungens Hazael in Regem super Syriam, & Jehu filium: Namsi ungens in Regem super Israël, Eliseum autem filium Saphar, qui est de Abo-medida unges Prophetam pro te. Jesus Nazarenus quem unxit Deus Spiritu Sancto, sicut habetur in Actibus Apostolorum. C. 10. v. 38. unctus est Oleo pietatis pro consortibus suis, qui secundum Apostolum est caput Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius. Nec quidem est unctus materialiter, sed invisibili Unctione est unctus. D. Thom. in 3. p. q. 72. art. 3. Christiani ergo à Christo quasi uncti deriventur ab uncto, ut omnes currant in odorem illius ungentis, cujus nomen Oleum est effusum. C. un. §. Quia h. t.

240 Forma hujus Sacramenti est hæc: Signo, vel consigno te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen. D. Thom. in 3. p. q. 72. art. 4. Græcorum forma est hæc: Significatio domianis Spiritus Sancti. Omissis verbis more Græcorum cujus sensus est: Hoc signo donatur munera Spiritus Sancti. Ut latè Arcudius lib. 2. cap. 6. & 7. Lacr. L. 6. p. 1. n. 383. Materia proxima est: Unctio, remota est. Chrisma confectum ex Oleo, & balsamo ab Episcopo benedictum. Gratia enim Spiritus Sancti designatur in Oleo: Unde Christus dicitur Unctus Oleo lætitiæ propter plenitudinem Spiritus Sancti, quem habuit, & idem Oleum convenit materię hujus Sacramenti. Admixtum balsamum propter fragrantiam odoris, quæ redundat ad alios: unde Apostolus dicit: Christi bonus odor sumus. Et habet præcipuum odorem, & incorruptionem præstat. D. Thom. in 3. p. q. 72. art. 2. Et licet Chrisma sit materia hujus Sacramenti, necessitate præcepti, non talis est necessitate Sacramenti; sed tantum Oleum pertinet ad ejus essentiam. Nam in C. 1. de Sacram. non iterum cum confirmandus, non Chrismate, sed Oleo tantum fuisse inunctum ait Imò. III. non lesse aliquid iterandum, sed cautè supplendum, quod in aut fuerat prætermisum. Quid clarissè ad probandum, balsamum non esse de essentia confirmationis: alias confirmatio sine eo facta iteranda esset; arg. C. 8. C. 9. de Consec. D. 5. solum ergo ex præcepto debet apponi, nec plus vult Conc. Florent. sub Eugen. IV. §. Secundum Sacramentum. Ubi ait: Materiam hujus Sacramenti, esse Chrisma confectum ex Oleo, & balsamo. Nam in

M

§.



§. Tertium ait, materiam Eucharistiæ esse vinum de vite cum modicissima aquæ admixtione. Et §. Quæritur vit, materiam Sacramenti Pœnitentiæ esse satisfactionem: cum certum sit, admixtionem aquæ solum esse de præcepto Ecclesiastico; & satisfactionem solum esse partem integram, non verò substantialem pœnitentiæ. Hanc sententiam contra *Suar. in 3. p. D. 34. seq. 1. & alios tenet. Cajet. Soto, Navarr. Covarr. Valent. & alii apud Laur. l. 6. p. 1. n. 375.* qui eam probabilem dicit.

241. Licet omnia Sacramenta sint aliquomodo necessaria ad salutem, quædam tamen talia sunt, sine quibus non est salus: quædam verò se habent, sicut quæ operantur ad perfectionem salutis; & hoc modo confirmatio est de necessitate salutis; quamvis sine ea possit utique esse salus, dum non præmittatur ex contemptu Sacramenti. *D. Thom. in 3. p. q. 72. art. 1. ad 3.* Hinc negligere hujus Sacramenti susceptionem, secluso scandalo, & contemptum, non esset mortale. Confirmatio debet conferri omni homini viatori baptizato, non confirmato: ac proterea infantes, muti, surdi, amentes, etiam perpetui, maxime, si habeant lucida intervalla, vel si ante amentiam confirmari poterunt: etiam constituti in mortis periculo possunt hoc Sacramentum suscipere. *C. 1. de Const. D. 5. D. Thom. in 3. p. q. 72. art. 8. ibi: Dicitur Ali. 2. quod Spiritus Sanctus replevit totam domum, per quam significatur Ecclesia, & postea subditur, quod repletissimi omnes Spiritu Sancto: sed ad illam plenitudinem consequendam hoc Sacramentum datur: ergo est omnibus, qui sunt in Ecclesia exhibendum.* Græci statim post baptismum conferunt confirmationem: sed expedit ob reverentiam Sacramenti, quod confirmandis aliqualis ratio affluat. In terris Hæreticorum, & etiam in Missionibus Indiarum, quo raro accedunt Episcopi, convenienter etiam infantibus confertur, imò sunt aliquæ Regiones adeò distantes, asperæ, & montuosæ, ac nunquam illic accedant Episcopi; idcò expediens esset, quod Provincialibus Religionum concederetur à R. Pontifice facultas confirmandi hos Neophitos, ut nostræ Societati concessum fuit à *Grego XIII.* sed non prædicatur hoc privilegium. Ex hucusque dictis colliges, quare hoc Sacramentum adeò varijs nominibus appelleretur. Vocatur enim *manus impositio* à ritu, & cæremonia, qua confertur. Dicitur *chrisma* à *D. Aug.* à materia remota: dicitur *unctio* à *Coac. Loodic.* à materia proxima. Et

frequentè dicitur *confirmatio* ab effectu, quia est complementum baptismi. Et in hoc sensu dicitur, quod baptizatus per confirmationem fit plenus, & perfectus Christianus. *C. 6. de Conf. D. 5. L. 11. tit. 4. p. 1.*

242. Etiam in præsentibus agit de unctione, & consecratione Episcoporum, & quidem in Capite Pontificis Sacramentalis est delibutio chris-matis conservata, quia personam Capitis in Pontificali officio repræsentat. *C. un. §. Unde, h. t.* Episcopus enim chris-mate innungitur in capite, & manibus, ut diligit Deum ex toto corde suo, & proximum, sicut se ipsum, & ut operetur bonum apud omnes, maxime ad domesticos fideles. *C. un. h. t. L. 12. tit. 4. p. 1.* Hæc unctio si omittatur, suppletur, non verò iteratur consecratio. *C. un. h. t.* Unde infertur, hanc unctionem non esse de consecrationis substantia, sed solum ad solemnitatem pertinere. Materia enim est impositio manuum Episcopali, traditio Libri Evangeliorum, annuli, & baculi Pastoralis, saltem quoad proximum. *Lacr. lib. 6. p. 2. n. 21. q. 8.* Ut jam alibi diximus. Quando verò in Conciliis, & à SS. Patribus fit mentio de consecratione Episcopali, hæc habetur pro eodem, ac impositio manuum, quæ tanquam illius materia consideratur. *Trid. sess. 23. de Sacram. Ordin. cap. 3.* Et Ecclesia Orientalis in consecratione Episcopi omittit chris-matis unctionem, quam non omittet, si esset materia à Christo designata, & solum utitur impositione manuum. *C. un. h. t. Gonz. ibid. n. 46. juxta illud Apost. 1. ad Tim. 4. v. 14. Et 2. ad Tim. 1. v. 6. Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Et licet integrum hujus Text. dicatur, hanc unctionem esse Juris Divini, ibi: *Hoc enim Catholica Ecclesia tenet, non solum ex præcepto Divino, verum etiam Apostolorum exemplo:* hoc intelligitur de Jure Divino antiquo ceremoniali. In Exodo quippè legitur, præcepisse Moysi Dominum, ut Aaron & filios ejus ungeret, quatenus Sacerdotio fungeretur. Sed hoc præceptum in Legge gratiæ cessavit. *C. 3. de Const.* solumque adhibetur ex præcepto Ecclesiæ tanquam ritus, & cæremonia, quin ex hoc Ecclesia judicet, sicut aliqui mentiuntur, qui neque Scripturas, neque Dei novere virtutem. Sed tantum Ecclesia suscitavit hoc præceptum, & vult, quod uniformitèr à Græcis, & Latinis servetur: nec talis unctio est de substantia ordinationis Sacerdotalis, multoque minus in consecratione Pontificis.

Quia

243. Quia etiam, & principalitèr in Sacramento Extremæ unctionis adhibetur unctio, de eo aliquid dicendum est. *Extrema ergo unctio est Sacramentum novæ Legis institutum à Christo D. ad salutem mentis, & corporis per unctionem Olei; & orationem Sacerdotis homini ægrotanti, & periclitanti de vita. Trid. sess. 14. de Extr. Unct. cap. 1. ibi: Instituta est autem hæc Sacra unctio infirmorum tanquam terræ, & propriè Sacramentum Novi Testamenti à Christo D. nostro apud Marc. 6. v. 13. insinuatum (ibi: Et Dæmonia multa eiciebant, & ungebant Oleo multos ægros, & sanabant) per Jacobum autem Apostolum, ac Domini fratrem, commendatum, & promulgatum (in sua Epistola, C. 5. v. 14. & 15. ibi:) infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum Oleo, in nomine Domini, & oratio fidei sanabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei C. 2.) D. 95. Materia ejus remota est oleum olivarum ab Episcopo benedictum, quod dicitur infirmorum, vel ex privilegio Pontificis, potest à simplici Sacerdote benedici, ut fit in Ecclesia Orientali, seu Græca, & approbavit Clemens VIII. die 31. Aug. 1595. Chrisma non est materia hujus Sacramenti, in casu tamen necessitatis posset adhiberi: sed tunc, vel quando per errorem unctio fuit facta chris-mate, vel oleo Cathæmehorum, est tutius unctionem repetere. *Lacr. lib. 6. p. 2. ex n. 2090.* Materia proxima est unctio, & saltem una omnino necessaria est ad essentiam, & valorem Sacramenti, & juxta aliquos unica tantum sufficit; sed quinque sensuum externorum organa necessariò esse ungendæ, nec alièr verum Sacramentum conferri, tenet *com. DD. cum Soto, Granado, D. Thomas, & Magistro Sentent. in 4. D. 23. cap. 4. ibi: Cum præcipuus finis Sacramenti hujus sit morbis animi mederi, congruentissimè non toti corpori, quod per animam vivit, sed illis ejus partibus, in quibus radices peccatorum vigent, applicatur. Radix autem prima nostrorum morum est cognitio, unde vis appetitiua excitatur. Cognitio verò nostra, teste Aristotele, à sensu incipit: quo circa secundum universalem Ecclesiæ ritum quinque sensuum organa, quæ si hoc sit de essentia Sacramenti, inunguntur: nempe oculi, aures, naves, os & manus, in quarum digitorum pulpistibus præcipue residet. Est tamen plerisque Ecclesiarum in more propter virtutem motiõni pedes quoque ungere: & quibusdam, propter appetitiõni, etiam naves. In casu tamen necessitatis potest uni-**

Tom. I.

ca adhiberi unctio sub conditione, si validum est Sacramentum, ungerendo unum organum, magis obvium, vel potius caput, ubi omnes sensus vigent: vel si tempus permittit, ungat Sacerdos velociter, etiam sine forma crucis, unum oculum, aurem, narem, os, & manum, dicendo sub una forma totali: *Per istam Sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustatum, tactum, gressum, & lumborum delectationem. Amen.* Extra necessitatem verò fit unctio in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum, & locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibi vigentem. Unctio oculorum incipit ab oculo dextro in palpebra, manu dextra, &c. Presbyteris ungentur manus exteriori, reliquis autem interiori, scilicet in palma. Unctio renum in Religiosis, & foeminis ob decentiam omittitur. Nec est de essentia, quod uterque oculus, utraque auris, &c. ungetur. Satis ad valorem est, si unum ex eis membris ungetur. Nec ad substantiam pertinet, quod sensus prædicto ordine ungentur, aut quod fiat unctio in forma crucis, peccabit tamen, qui aliquid horum sine necessitate negliget pro qualitate transgressionis. Cæci, surdi, & muti à natura, & mutilati debent inungi prope organa sensuum, quibus carent: quia licet non per sensus externos, peccare tamen poterunt per potentias internas illis correspondentes. Omnes tamen prædictæ unctiones unum tantum Sacramentum constituunt. Et non tantum materia, & forma, sed etiam partiales materie hujus Sacramenti debent moralitèr conjungi. Sufficit autem, quod unctio unica gutta olei fiat. Nec est simpliciter necessarium, quod fiat contactu immediato manus: sic peste grassante potest fieri virgula oleo tincta, quæ si argentea sit, in hunc usum reservatur, si lignea comburitur. In ultima saltem unctione gratia confertur: aliqui tamen dicunt, quod cuilibet unctionem sua partiali gratia correspondet. Si ergo infirmus in prima unctione moritur, gratiam consequitur partialem. Græci inungunt frontem, mentum, & ambas genas, pectus, manus ex utraque parte, & pedes. Sufficit Sacerdos sine Ministro in necessitate, & tunc ipse sibi, non foemina, respondebit. In diuturnis morbis, ut hydropsi, debet unctio reiterari, quoties redit periculum.

M 2

Sic



Sic ex Diana, Laer. Alloza, & alii.

244 Forma est hæc: *Per istam Sanctam Unionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid peccasti per visum, auditum, tactum, &c. debent ergo in forma significari actio ungenti, modus deprecationis, & deprecatio pro remissione peccati, & quidem commissi per sensum. Si dicatur: Ungo te, ut Deus tibi indulgeat quidquid deliquisti per visum, &c. licet hoc non obstat valori Sacramenti secundum Suar. contra alios, tamen praxis illicita est. Laer. lib. 6. p. 2. ex n. 2095. Minister Ordinarius hujus Sacramenti est Parochus, vel alius Sacerdos de ejus licentia: validè autem à quocumque Sacerdote ministratur. Nec potest validè à non Sacerdote ministrari, etiam, ex dispensatione Pontificis. Laer. lib. 6. p. 2. n. 2099. Nec requiruntur plures Sacerdotes, sed unus sufficit. Græci tamen septem, vel saltem tres Presbyteros adhibent. Sed quamvis plures adessent, adhuc esset abusus, quod singuli ungant eandem partem toties repetita forma, ut solent facere Græci. Laer. lib. 6. p. 2. n. 2099. Subjectum hujus Sacramenti est homo viator baptizatus, qui aliquando fuit ratione usus, etiamsi puer, amens, vel furiosus sit: dum tamen sit constitutus in infirmitate lethali, sive procedat ex morbo, veneno, vel vulnere: etiamsi ex sola senectute procedat: nam senectus morbus est: & quidem nulla medicabilis arte. Non datur homini in patibulo suspendendo, vel decapitando, nec inituro prælium, vel periculosam navigationem: cum isti infirmi non sint. Datur infirmis, etiam usu sensuum destitutis. In dubio an puer, vel alius æger sit aliquando usus ratione, vel an sit in mortali, vel an adsit periculum mortis infirmus inungendus est. Nam hoc Sacramentum non tantum est institutum ad peccata, peccatique poenas tollendas, sed etiam, ne æger succumbat tentationibus, & ut sanitati restituatur, si expedit. Laer. lib. 6. p. 2. n. 2085. Res, & effectus hujus Sacramenti illis verbis explicatur: & oratis fidei salvabit infirmum, & alleviavit eum Dominus; etsi in peccatis sit, dimittentur ei: res etenim hæc gratia est Spiritus Sancti, cujus unctio delicta, si qua sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo Divinae misericordiae fiduciam excitando, qua infirmus sublevarius, & morbi incommoda, ac labores levius fert, & tentationibus Dæmonis calaneo insidiantis facilius resistit, & sanitatem corporis iterum, ubi saluti animæ expeditur, consequitur. Trid. sess. 14.*

de Extr. Unct. cap. 2. Per peccati reliquias intelliguntur non solum peccata venialia, sed etiam mortalia inculpabiliter non remissa per priora Sacramenta, vel commissa post illa, si nunc ignorentur; partim poenæ peccatorum, & præcipue languor, vel anxietas post peccatum relicta. Sic ex D. Th. & aliis Laer. lib. 6. p. 2. n. 2119. Regulariter, si causa rationabilis non subsit, debet ad hoc Sacramentum conferendum præmitti confessio, & communio: potest tamen conferri ei, qui aliud Sacramentum suscipere non potest: v. g. si sensibus destituitur: imò, & conferri potest ei, qui nondum Eucharistiam recepit, v. g. puero Hoc Sacramentum ommittere, secluso scandalo, & contemptu non est peccatum mortale. Aliqui dicunt B. Virginem hoc suscepisse Sacramentum.

245 Etiam Imperatores, & Reges inungi solent, non tamen Chrismate, sed Oleo catechumenorum. Hæc unctio fit in brachio dextro, humero, vel armò. Juxta illud Isai. 9. v. 6. factus est Principatus super humerum ejus. C. un. §. Undè h. t. l. 1. 3. tit. 4. p. 1. ibi: *Ungir solian à los Reyes en la Vieja Ley con Olio bendito en las cabezas, mas en esta nuestra ley Nueva les hacen unccion en otra manera, por lo que dizeo Isaias, Profeta de nuestro Señor Jesu-Christo, que es Rey de los Cielos, & de la tierra, & que su Imperio seria sobre su hombro. E esto es cumplido, quando le pusieron la Cruz sobre el Ombro diestro, & se la ficieron llevar: porque cumplidamente ganó virtud en el Cielo, & en la tierra: E porque los Reyes Christianos tienen su lugar en este Mundo para hacer justicia, & derecho, non tenudos de sufrir todo cargo, & asan que les avenga por honra, & por ensalzamiento de la Cruz. Por esso los ungen en este tiempo con Olio Sagrado en el ombro de la espalda del brazo diestro, en señal, que toda carga, & todo trabajo que les venga por esta razon, que la sufran con muy buena voluntad, & lo tengan como por ligero, por amor de nuestro Señor Jesu-Christo, que dize en el Evangelio: jugum meum suave est, & onus meum leve. El mi Yugo es manso, & mi carga es liviana.* Hoc oleum, quo unguuntur, significat lætitudinem, & promptitudinem ad debellandum Ecclesie inimicos, & pugnandi pro fide, & ad victoriam obtinendam, sic olim luctatores oleo ungebantur, juxta illud: *Exercent patrias oleo lavante palatras nudati socii.* Et quidem olim non solum Imperator, sed varii Reges inungebantur, ut Reges Gallie, Siciliae, & Hierusalem. Et in nostra Hispania Reges,

Cast.

Castellæ, Aragoniæ, & Navarre, ut de Rege Vvamba; Egica Alfonso VII. & aliis referat Jacobus Valdes. de Dignit. Reg. Hispan. cap. 14. Camil. Borel. de Præstant. Reg. Cathol. cap. 49. Gonz. in c. un. h. t. n. 18.

246 Etiam Ecclesia, cum dedicatur ungitur in parietibus: altare cum consecratur ungitur ab Episcopo prius Oleo simpliciter, deinde Chrismate in cornibus. C. 32. de Cens. D. 1. Calix quando ab Episcopo benedicitur ungitur Chrismate in superficie. Quod desumptum est ex eo, quod Deus Moysi præcepit. Exod. 30. v. 25. 26. 27. ut faceret oleum unctiois, de quo ungeret testimonii Tabernaculum, & Arcam Testamenti, mensamque cum vasis. Et exemplo B. Sylvestri, qui consecravit altare, illudque chrismate perungebat. C. un. §. fin. h. t. l. 16. tit. 4. p. 1. Latius in tit. de Consecr. Eccles.

## TIT. XVI.

### De Sacramentis non iterandis.

247 Sacramentum sumitur 1. pro juramento. C. 1. de Feriis. Auth. Sacramenta puberum. C. Si adversus vendit. 2. pro re abscondita, & secreta, seu mysterio, seu secreto sacro, sic Sap. 2. v. 22. dicitur: *Nescierunt Sacramenta Dei. Sic Apost. ad Ephes. 1. v. 9. ait de Deo, ut notum faceret nobis Sacramentum voluntatis sue: sic Tobia 12. v. 7. dicitur. Sacramentum Regis abscondere bonum est.* 3. pro signo aliquo sensibili nostræ sanctificationis. Et sic sumitur in præsentia, & sæpè in jure. In quo sensu definitur à D. August. in t. 32. D. 2. est invisibilis gratiæ visibilis forma: quam definitionem assert Mag. Sent. in 4. D. 1. q. 1. Et ibid. D. Thom. art. 1. q. 3. ibi: *Dicendum, quod illa definitio Magistri completissime rationem Sacramenti designat, prout nunc de Sacramentis loquimur. Et ad 5. ait: Sacramentum non dividitur per sacramenta veteris, & novæ Legis, sicut genus per species, sed sicut analogum in suas partes. E contra autem rationem Sacramenti esse univocam, tenet Suar. in 3. p. D. 1. sect. 2. Marin. de Sacram. Disp. 1. n. 12. cum aliis: quod quidem conformius videtur modo loquenti. Trid. sess. 7. Can. 2. Conc. Florent. & Catech. S. Pii V. Sacramentum prout ad novam Legem restringitur est signum sensibile à Christo D. stabiliter institutum, collatumque sanctificantis gratiæ ex opere operato, cuiuscumque obicem non ponenti. Sic deducitur ex Conciliis PP. & DD.*

248 Sacramenta, veteris legis erant signa gratiæ sanctificantis, seu justificantis, & sicut nostra Sacramenta significant gratiam: quæ re ipsa datur per Christum, ita illa significabant gratiam; quæ erat danda per Christum, juxta illud Apost. ad Hebr. 10. v. 1. *Umbram habens lex futurorum, non ipsam imaginem rerum.* Non tamen causabat gratiam, quam significabant; juxta illud Paul. ad Galat. 4. v. 9. *Quomodo convertimini iterum ad infirma, & egena elementa? Et Gl. ibid. id est: ad legem, quæ dicitur infirma, quia perfectè non justificat.* D. Thom. in 3. p. q. 62. art. 6. Sed tantum conferebant quandam Sanctitatem Legalem, seu munditiam. Ut bene explicat Mag. in 4. D. 1. q. 1. *Quæ enim significanti gratiam tantum instruita sunt, solum signa sunt, non Sacramenta, sicut fuerunt sacrificia carnalia, & observantia Ceremoniales veteris Legis, quæ nunquam poterant justos facere offerentes, quia ut ait Apost. Sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitule aspersus inquinatos sanctificabat ad emundationem carnis, non anime: nam inquinatio illa erat contractus mortui: unde Aug. nihil aliud intelligo, inquinatio-nem, quam lex mundat, nisi contractum mortui hominis. Sic circumcisio faciebat, quod homo, qui ante inter immundos, & incircuncisos erat, transferretur in Populum Sanctum, & specialiter electum à Deo, juxta illud Exod. 19. v. 6. Deut. 7. v. 6. *Populus Sanctus es Domino Deo tuo, te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei Populus peculiaris de cunctis Populis, qui sunt super terram.* D. Thom. in 3. p. D. 62. art. 6. ait: *Illæ sanctificationes erant figurales, per hoc enim sanctificari dicebantur, quod applicabantur cultui Divino secundum ritum veteris legis, qui totus ordinabatur ad figurandam Passionem Christi.* Et quidem in veteri lege figura in dupli-ci erant differentia: aliæ erant figuræ tantum, & non Sacramenta, sicut transitus maris rubri, & protectio columnæ, quæ erant figuræ baptismi. Manna, & aqua scaturiens de petra erant Eucharistiæ figuræ; & Nulla ex his erat Sacramentum. Aliæ erant figuræ, & simul Sacramenta, ut circumcisio, quæ erat baptismi figura, esus Agni Paschalis, & esus panum propositionis erant figuræ Eucharistiæ. Consecratio Sacerdotum erat figura Ordinis Sacri. Et pro Sacramento poenitentiae plures purificationes, & expiationes dabantur: quæ omnia Sacramenta erant, ac proinde plura Sacramenta in lege veteri præcesserunt, quam quæ in lege Gratiae inveniuntur. D. Thom. in 3.*

3.